



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De ordine Processionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

& Magistri Cæremoniæ.

An compromissarij electi.

Et cum crastino die sessio prima habenda esset, tabellis publicè propostis in hæc verba indicta fuit.

Crastina die, quæ erit iiij. huius mensis, mane hora 10. Deo benè iuuante, initium erit Synodi Diocesanæ xi. Mediolanensis. Ex Cancellaria Archiepiscopali die iiij. Maij 1584. subscripta N. Can. Ordinar. Cancell. Archiepisc.

Hodie sub vesperum ad præscriptum in omni Ecclesia solenni campanarum sono significatio facta est Synodi postero die inchoandæ: mane verò, qui fuit dies iiij. item pulsatum est, vt significaretur celebritas Synodalis conuentus.

Item certa significatio orationis pro Synodo.

Sessio Prima.

IN Nomine Domini Amen. Anno à Natiuitate eiusdè M.D.LXXXIII. Die iiij. Maij, Pontificatus Sanctissimi D. N. Domini Gregorij XIII. &c.

Illustris. & Reuerendis. in Christo Pater, & Dominus noster Archiepiscopus Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis, hoc mane & die pro celebratione Synodi Diocesanæ vndecimæ indictæ, de mare rem Synodalem solenni ritu aggredi volens, Reuerendo Capitulo, & Clero Metropolitanæ in aula magna congregationum Synodaliū propè sacellum in ædibus Archiepiscopalibus congregato, è cubiculo cum cappa egressus, eam exiit, facta manuum lotionè; Albam, stolam, & pluuiale rubri coloris, ac Mitram pretiosam induit. omnes item Canonici ordinarij, & officiales, pretiosa paramenta, quisque pro sui ordinis ratione induerunt; ac ita processionaliter ad Basilicam Metropolitanam Illustris. Dominus deductus est, comitantibus, & sequentibus plurimis Prælatibus, & prothonotarijs, rochetto indutis, & Seminario, ac populi frequentia. Vbi ad atrium Metropolitanæ peruentum est, solèni campanarum & organi sono exceptus, de more in limine ostij maioris paulum consistens, Reu. Capitulum, & alios ibi præfentes aqua benedicta a-

spersit. Inde ad altare maius veniens paululum precatus est; postea ad sedem Archiepiscopalem accessit: quo loco horæ tertie officium inchoauit: & dum psalmi per cantores alternis choris solenniter canerentur, stas preces ex libro Pontificali recitauit; sandalia, ac dalmaticas, & pluuiale superinduit processionis gratia. Horæ tertie officio perorato, cum Clerus vniuersus secularis & regularis conuenisset, statim inchoata fuit processio ad Basilicam Sancti Ambrosij; singulaq; Capitula & Collegia suo loco procedebant, ex ordine vocationis factæ.

De ordine Processionis.

Processionis ratio & ordo is fuit, quæ in propria Tabella impressa Illustris. Dominus ex suggestu explicari iussit. Tabellæ verò omnibus præfatis processionis constitutis, & Præpositis Collegiatarum Urbis, & Diocesis, ac Vicarijs foraneis dum ad processionem conueniebant, per Magistrum Cæremoniarum distributæ fuerunt, quò rectius tota processionis ratio iniretur.

Formula publicaodi Tabellam prædictam paulò antequam processio inchoetur.

Præpositi, Sindici Urbis, Vicarij Foranei, apud se Tabellam hanc habeant, & in suo quisque Clero rectam illius executionem curent. Præfati disciplinæ Synodalis in eam curam incumbant vniuersè & sigillatim, vt hæc ipsa præsentur ad præscriptum, adhibita etiam opera clericorum designatorum.

Postea verò, quàm à processione Clerus ad Basilicam Metropolitanam redijt, ordine per sedilia oblonga, prout designatio facta requirebat, ab ijs dispositus est, quos huius rei designationi Illustris. Archiepiscopus instituerat.

Præterea quò diligentius & accuratius disciplina Synodalis à Clero seruetur, nec verò quidquam committeretur, quod à loci Sanctitate, & Synodali actione alienum esset, certis Synodi locis